

moriam, firmitatemque perpetuam, presentes concessimus litteras nostras privile-  
 giales, pendentis et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum  
 per manus Venerabilis in Christo Patris Domini Nicolai Archiepiscopi Strigo-  
 niensis, locique eiusdem Comitatus perpetui, Aule nostre Cancellarii dilecti et fidelis  
 nostri. Anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo nono, tertio Kalendas  
 Septembris, Regni autem nostri anno decimo octavo. Venerabilibus in Christo  
 Patribus et Dominis: Eodem Nicolao Strigoniensi, Thoma Colocensi, Ugolino  
 Spalatensi, Nicolao Jadrensi, Elia Ragusino, Archiepiscopis, Nicolao Agriensis,  
 Demetrio Varadiensis, Dominico Transylvaniensis, Gregorio electo confirmato  
 Chanadiensis, Nicolao Quinqueecclesiensis, Colomano Jauriensis, Ladislao Vesz-  
 primiensis, Stephano Zagrabiensis, Michaelae Vacziensis, Petro Boznensis Fratri-  
 bus; Stephano Nitriensis, Thoma Syrmienensis, Johane Tininiensis, Demetrio No-  
 nensis, Bartholomeo Traguriensis, Valentino Makarensis, Stephano Farensis, Ma-  
 theo Sibinicensis, Fratribus, Michaelae Scardonensis, Portino Senniensis, et Ladis-  
 lao Corbaviensis Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus.  
 Magnificis viris Nicolao Konth Palatino, Andrea Vajvoda Transylvano, Comite  
 Nicolao filio Ugrini Iudice Curie nostre, Nicolao de Zech totius Croatiae et Dal-  
 matie Bano, Leustachio eiusdem Regni Sclavonie, Nicolao de Gara de Machov  
 Banis, Leukus Dapiferorum et Pincernarum, Dyonisio Agazonum nostrorum Ma-  
 gistris, ac Magistro Simone Psoniensi, aliisque quampluribus Regni nostri Co-  
 mitatus tenentibus et honores. Ad perpetuam rei memoriam. Nos Lodovicus  
 Rex prefatus universis declaramus, quod ubi in Regno nostro Bozne innume-  
 rabilis multitudo hereticorum et Patarenorum pululasset, in terrorem fidei ortho-  
 doxe, ad extirpandumque de ipso Regno nostro eosdem, ex una parte nos per-  
 sonaliter instaurato valido exercitu proficiscebamur, ex alia vero parte Venera-  
 bilem in Christo Patrem Dominum Nicolaum Archiepiscopum Strigoniensem, no-  
 strum Cancellarium, penes quem utrumque par sigilli nostri autentici habebatur,  
 et virum Magnificum Dominum Nicolaum Palatinum cum ceteris Prelatis, Baro-  
 nibus et Regni Proceribus in Bozniam destinaremus, quidam familiares ipsius  
 Domini Archiepiscopi, pro custodia deputati, utrumque par sigilli nostri precon-  
 cepta malitia subtraxerunt; nos itaque precavescentes, ne ex huiusmodi sigilli no-  
 stri deperditione regnicolis nostris in eorum iuribus successive periculum possit  
 iminere, sigillum novum in duobus paribus fecimus pro nobis sculpi, quod ad  
 omnia Privilegia nostra, et quondam Domini Karoli Regis Patris nostri, sub priori  
 sigillo eiusdem tempore sue coronationis sculpto, et demum per eundem eo,  
 quod sub ipso plurime infidelitates perpetrare extiterunt, repente permutato, ac  
 sub alio sigillo ipsius in partibus transylvanis casualiter deperdito, confecta, iuxta  
 dicta tria sigilla decrevimus fore apponendum, ad quecunque vero privilegia pa-  
 terna dictis duobus prioribus suis sigillis consignata, que per eundem Patrem  
 nostrum per sigilla eiusdem posteriora, vel per nos cum sigillo nostro premissis  
 deperdito confirmata non haberentur, et ad ipsa privilegia ipsum novum sigillum  
 nostrum non appenderetur, vel quecunque patentes littere nostre et paterne non  
 confirmarentur, ea privilegia et littere, sicut per eundem Patrem nostrum fuerunt  
 revocata et annullata, sic et nos ipsas seu ipsa comisimus viribus caritura,  
 nullamque roboris obtentura firmitatem. Inter que presens privilegium nostrum,  
 omni suspitione destitutum, et omnia in eo superius contenta et expressa pro  
 dictis nobilibus regni Sclavonie et eorum successoribus, dicti sigilli nostri novi